

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

September 6, 1991

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Bernard and the Spider (Peter of Cornwall)

Predictus quoque Bernardus dum iterum aliquando missam celebraret et iam calicem Domini consecratum manibus teneret, contigit ut aranea in calicem decideret. Quod ipse primo exhorruit sed cogitationes suas dubie in diuersa primitus fluctuantes cito in unum recollegit et pro meritis patris sui audaciam resumens, et misericordiam et auxilium beati Stephani cuius se sciebat seruum natiuum, et quem pre omnibus sanctis familiaritate quadam colebat, inuocans, hausit totum quod erat in calice intrepidus, et quia in Deo et in beato Stephano omnino confidit et in eorum auxilio animam suam posuit, nunquam postea ex aranee haustu lesionem sensit. Mira dicturus sum. Una noctium pruriginem sensit in unius pedis sui minimo digito. Unde ad ignem se applicans iussit unum seruientum suorum illum digitum in quo pruriginem sensit scalpere. Qui tam diu illum digitum tractauit, fricauit, et scalpsit donec rupta pelle sanguinem extraheret, et cum sanguine predicta aranea uiua abintus foras erumperet, et quanta esset fides eius in Deum et spes fiducie eius in beatum Stephani miraculum inauditum et uere mirandum ostenderet.

2. A grave matter (Chichester statutes, 1292)

Licet humana fragilitas quemlibet ad affectandum et assequendum bona temporalia diversis modis alliciat, ad hoc tamen homini a deo datur discretio ut eum ambitus huiusmodi, maxime per ea que honestatem dedecent, a rationis tramite per devia non abducat. Cum igitur ecclesiarum sanctuaria que populariter cimiteria nominantur, sicut frequenter nostris auribus inculcatur, nec tantum per laicorum verum etiam quandoque, quod detestabilius est, per rectorum, vicariorum, et sacerdotum parochialium cupiditatem nephariam, porcis, equis, bobus, ovibus, et aliis animalibus pretextu herbagii inibi crescentis, dei et ecclesie reiecta reverentia, conculcentur, et sanctorum forte corpora quorum aliqua in eisdem cimiteriis fas est credere sepeliri, execrabili effossione fedentur, quod presertim defunctorum parentibus et amicis merito cedere poterit in horrorem, nos igitur tante temeritatis et detestande cupiditatis audacie frenum moderaminis volentes imponere, sub divine et nostre maledictionis interminatione precipimus statuendo ne quis literatus vel laicus talia deinceps temptare presumat.

3. The meaning of Christ's dual nature (Boethius)

Ex utrisque naturis aliquid consistere duo significat: unum quidem, cum ita dicimus aliquid ex duabus naturis iungi sicut ex melle atque aqua, id autem est ut ex quolibet modo confusis, uel si una uertatur in alteram uel si utraeque in se inuicem misceantur, nullo modo tamen utraeque permaneant; secundum hunc modum Eutyches ait ex utrisque naturis Christum consistere.

Alter uero modus est ex utrisque consistendi quod ita ex duabus iunctum est, ut illa tamen ex quibus iunctum esse dicitur maneant nec in alterutra uertantur, ut cum dicimus coronam ex auro gemmisque compositam. Hic neque aurum in gemmas translatum est neque in aurum gemma conuersa, sed utraque permanent nec formam propriam derelinquunt. Talia ergo ex aliquibus constantia et in his constare dicimus ex quibus consistere praedicantur.

Tunc enim possumus dicere coronam gemmis auroque consistere; sunt enim gemmae atque aurum in quibus corona consistat. Nam in priore modo non est mel atque aqua in quibus illud quod ex utrisque iungitur constet.

4. Ulysses challenges the Trojans (Dictys Cretensis)

Post quem Ulixes medius adstans huiuscemodi orationem habuit: credo ego vos, Troiani principes, satis compertum habere, nihil temere Graecos, nihil inconsultum incipere solere, ac semper his iam tum a maioribus provisum atque elaboratum, uti facta gesta que eorum laus potius quam culpa sequeretur. Et ut praeterita bene consulta omittam, iam hoc licet recognoscere. Iniuriis contumeliisque Alexandri paulo ante laesa Graecia non ad vim neque ad arma decursum est, quod iracundiae refugium esse solet. Nam de consilii sententia legati ad recipiendam Helenam, ut meministis, cum Menelao venimus. Quibus praeter superbas verborum minas et insidias occultas nihil a Priamo neque ab eius regulis remissum est. Imperfecta igitur re, ut opinor, consequens fuit arma capere hisque per vim extorquere, quod amice impetrari nequitum est. Itaque parato exercitu ac tot egregiis atque inclitis ducibus ne sic quidem proelium adversum vos inire consilium fuit, sed imitati morem modestiamque solitam iterato ad vos ob eandem causam oratum venimus.